



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Decisio Rotalis In una Treviren. Abbatiae S. Maximini coram
Rev[erendissi]mo. D. Decano Coccino. Mercurij die 20. Novembris 1624.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

20. Novembris 1624. Item in eadem 24. Januarij 1625. quarum duas postremas, quia elegantissimæ & doctissimæ sunt, pro Lectoris noticia hic subjunxi.

DECISIO ROTALIS

In una Treviren. Abbatia S. Maximini
coram Rev^{mo}. D. Decano Coccino.
Mercurij die 20. Novem-
bris 1624.

N. 1. **P**etitum fuit, ut Sanctissimus Dominus Noster confirmaret electionem Abbatis, quæ nisi valida sit, confirmari non debet. *c. nihil. 44. §. ceterum. de elect.* Imò si est nulla, ob non servatam formam *c. quia propter. 42. de elect.* potestas providendi devoluta est ad Sedem Apostolicam, tam vigore iuris communis, ut est *text. expressus in c. quamquam. 18. de elect. in 6. Romani. conf. 332. num. 11.* quam vigore Concordatorum & compactatorum Germaniæ. Idèò sanctissimus Dominus Noster mandavit, ut in Rota videretur, an constet de valida electione, quæ veniat confirmanda; & resolutio penderet principaliter ex eo, an fuerit servata forma *c. quia propter. 42. de elect.* quod habet locum in electione etiam Abbatum, ut colligitur ex dicto *text. in verbo. Ecclesia viduata. iuncto text. in c. ne pro defectu. 41. tit. eod. & in c. indemnitatibus. 43. §. sanè. cum §. §. seq. de elect. in 6. 10. And. in d. c. quia propter. num. 59. ubi de communi. Bellam. ibid. num. 3. in princ. Imol. n. 3. ubi de communi. Rot. decis. 5. in princ. iuncto. n. 2. de elect. in nov. cum pluribus allegatis in causa Meten. Monasterij. 5. Julij 1621 coram me. quibus potest addi Cucch. in sit. maior. lib. 4. tit. de elect. n. 279. in fin. Canis. de elect. §. & hac de Episc. Iodoc. Lorich. in thesaur. utriusque Theolog. in verb. electio in forma scrutinij. vers. octavo hæc forma. Et forma, quæ traditur in d. c. quia propter. est præcisè servanda, cum habeat decretum irritans, ibi, *electio aliter facta non valeat*, quæ verba dictum decretum important. *l. non dubium. C. de legit. l. stipulatio. ff. de verbor. oblig. 10. Salas de leg. q. 96. tract. 14. disput. 16. sect. 11. n. 29. Alex. conf. 41. num. 13. & 14. lib. 5. Socin. sen. conf. 87. n. 6. vers. confirmatur. lib. 3. Ias. conf. 85. n. 8. & 9. lib. 3. & in puncto d. c. quia propter. dicunt glos. & DD. in d. Meten.**

An electio
Abbatis
non servata
formâ
c. quia
propter.
valeat?

Meten. allegat. Compost. n. 20. vers. nunquid de ista. Io. Andr. n. 37. in verb. non valeat. Innoc. n. 6. eodem verbo. Gulielm. Mandagst. de elect. c. 22. Roman. conf. 332. n. 12.

Resolvi-
tur nega-
tivè.

II. Et Domini negotio maturè discussò, cùm una tantùm pars infor-
maret, censuerunt non constare de valida electione, quæ debeat confirma-
ri. Cùm enim in *d. c. quia propter*. dentur tres formulæ electionis, per *scru-
tinium* scilicet, *compromissum*, & *quasi inspirationem*, quæ ultima verè non est
formula, ut notant DD. *ibidem*. & fuerit electa forma *scutiniij*, non fuit ser-
vata forma in *d. c. quia propter*. præscripta. Primò, quia ibi disponitur, quod
assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cun-
ctorum diligenter exquirant, & in hoc casu fuerunt assumpti tres quidem
de Collegio, & tres extra Collegium; unde electio in duobus peccat, ac
proinde remanet nulla. Primò, quia fuerunt electi sex, & tamen non de-
bent esse plures quàm tres. Secundò, quia fuerunt electi tres extra Collegium,
utrumque enim est contra formam substantialem illius *c. quia propter*. ut
probat ex *text. claro in c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. §. denique. de elect.* Vbi est
expressum, quod clausula illa posita in *d. c. quia propter*. dum post requisita
ad electionem legitimè faciendam subiungitur, *electio aliter facta non valeat*
&c. refertur ad ea omnia quæ attentantur contra formam electionis re-
pertam solùm à *d. c. quia propter*. in Concilio generali, non autem ad alia
ibi narrata, quæ ad electionem faciendam reperta sunt ab alijs etiam Cano-
nibus, quibus tamen omissis, illi Canones non invalidant electionem; hoc
verò, quod scilicet tres de Collegio, & non plures debeant esse scrutatores,
statutum est solummodo ab ipso Concilio generali in *d. c. quia propter*. non
autem ab alio Canone: igitur electio omisâ istâ formâ, est nulla, cùm illa
clausula *aliàs electio facta non valeat*, posita in fine *d. c.* ad dictam formulam
à Concilio generali introductam referatur; ut bene dictum *text. in c. Eccle-
sia vestra*. ponderat *Roman. conf. 332. n. 12.* ad quod nullus alius, quem ego
viderim, animadvertit.

Nec plures
debent esse
scrutato-
res, quàm
tres.

III. Et quod etiam scrutatores debeant esse tres, & non plures, aliàs e-
lectio non valeat, est communis & indubitata sententia, *Abb. in d. c. quia*
propter. n. 13. vers. tertium substantiale. ubi de communi. Imol. n. 7. Innoc. n. 4.
Bald. n. 31. Io. Andr. n. 9. vers. assumantur, dum vult, quod substantialem *c.*
quia propter. incipiant à verbo *assumantur* *Butr. n. 22. vers. dicitur sextò. Hostien.*
in sum. §. qualiter facienda. vers. sed verba Concilij. Bais. de elect. p. 3. c. 23. ubi de
communi. Bertrand. conf. 187. n. 1. ubi etiam de communi. & quod ab hac opi-
nionem non sit recedendum in consulendo, neque iudicando, *Rebuff. super*
Concord. in tit. de reg. ad Pralat. nomin. facien. §. ult. verb. formam. vers. tres.
*ubi de communi. Franc. Marc. decis. 1201. ubi pariter de communi. Ioan. de Fri-
burg. in sum. tit. de elect. q. 7. col. 2. vers. assumantur. Sylvest. in sum. verb. elect*

2. n. 12

2. n. 12. vers. tertium de communi Ang. in sum. eod. verb. n. 26. Tabien. in verb. elect. n. 20. vers. secundum quod. Rosell. eod. verb. col. 5. vers. quot sunt formæ. Azor. In-
stit. moral. p. 2. lib. 6. c. 14. col. 7. vers. undecimò quaritur. Rodrig. in sum. c. 2. de
elect. col. 3. ubi de communi aliàs cap. 102. Iodoc Lorich. in thesau. utriusque Theo-
log. in verb. electio. in forma prima Scrutini. vers. secundò ut ipsi eligant. & ratio
huius sententiæ est, ut tres faciliùs conveniant, & fideliùs negotium tra-
ctent. Hostien. in sum. Petr. de Bais. Butr. & Bertrand. locis jam allegatis.

IV. Et quod etiam dicti tres Scrutatores debeant esse de Collegio, *Et quidem
de Collegio.*
aliàs electio sit nulla, est pariter communis opinio. Abb. in d. c. quia propter
n. 13. vers. quartum substantiale. Imol. n. 8. ubi de communi. 10. Andr. n. 11. Butr.
n. 22. vers. dicitur septimò. Hostien. n. 25. & 43. Card. n. 3. q. 12. Compost. n. 5 in fin.
vers. de Collegio. Anchar. col. 2. vers. circa hoc. Goffred. in sum. de elect. n. 7. Hostien.
in sum. eod. tit. §. qualiter facienda. col. 4. vers. de Collegio. Roman. conf. 312. n. 12.
ubi de communi. Rebuff. loco præfato, vers. quartò requiritur. Bais. de elect. part. 3. c.
24. Franc. Marc. d. decis. 1201. in fin. Sylvest. in sum. Ang. 10. de Fridburg. Tabien. Ro-
sell. Azor. Iodoc. Lorich. locis supra allegatis. Et ratio huius dicti est, quia præ-
sumitur eos, qui sunt de Collegio, fideliùs tractaturos electionem, & non
est honestum, ut qui sunt extra Collegium, sciant conscientiam illorum
de Collegio. Hostien. Imol. Bais. & Rebuff. supra citatis locis.

V. Et quamvis secundum aliquos substantialia formæ c. quia propter. *Explicatur
dictum
c. quia
propter.*
non incipiant à verbis illis assumantur tres de Collegio, sed à verbis im-
mediatè sequentibus, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter ex-
quirant, prout gloss. in d. c. quia propter. in verb. sanior. in fine. & fuit opinio
Vincentii. & Tancredi. Mandagot. de elect. c. 23. in verb. irritari. ubi, quod in
Curia fuit confirmata electio Abbatis Tullen. licet in ea fuerint electi sex
Scrutatores, tres scilicet de Collegio, & tres extra Collegium, quem etiam
refert Card. in d. c. quia propter. n. 13. q. 12. vers. Et juxta Mandagotum. & hanc
opinionem esse in Curia receptam dicunt, licet ipsi contrarium expres-
sè teneant, Hostien. in sum. de elect. §. qualiter facienda. col. 4. vers. assumendo.
Goffr. in sum. n. 7. 10. de Fridburg. in sum. tit. de elect. q. 7. col. 2. vers. assumantur.
Ioan. Andr. in d. c. quia propter. n. 9. in verb. assumantur. Prædicta tamen opi-
nio Glossæ non est vera, ut patet ex supradictis, & bene dicunt DD. modò
allegati, neque probatur, quod sit recepta in Curia, quia non est creden-
dum Doctori de receptione attestanti, prout nec creditur de consuetu-
dine attestanti. Mohed. decis. 2. & 3. de consuetud. & est ratio, quia consuetu-
do est quid facti, & quod tunc fuit, potest hodie non esse: per quam ra-
tionem semper meo tempore Rota reprobavit opinionem illorum, qui
tenent, quod credatur Doctori testanti de consuetudine, quando est ver-
satus in illo foro. Eoq; magis non est credendum dictis Doctores,
quia hoc dictum non videtur congruum, cum fere omnes prædicti Do-
ctores

Electores videantur moveri ex prædicta confirmatione electionis, in qua fuerunt adhibiti sex scrutatores, quæ quidem electio, ut rectè Rota advertit in *d. causa Meten. Monasterii. 5. Julii. 1621.* per summum Pontificem potuit confirmari ex gratia, non autem ex eo, quod electionem censuerit validam; nec prædicta electio adhibitis sex scrutatoribus potuit sustineri, prout nec ista, ex regula, quod utile per inutile non vitiatur *c. utile. de reg. jur. in 6.* quia ista regula non habet locum, quando aliquid inducitur pro forma substantiali, prout est, quod tres tantum eligantur scrutatores de Collegio, quia cum forma sit individua, utile per inutile vitiatur. *Dec. conf. 532. n. 5. Mandos. de communi. reg. 27. q. 24. n. 10. Matien. in l. 1. tit. 4. lib. 5. gloss. 4. n. 9. Becc. conf. 12. n. 30. Guttier. canon. 99. lib. 2. c. 15. n. 11. 4. Rota decis. 472. n. 9. par. 1. & in terminis electionis Roman. conf. 66. n. 2. usque ad finem. ubi, quod stante statuto, ut electio fiat ad annum, & non ultra, & si contra fiat, sit nulla: electio facta per triennium est nulla in totum, quia illa verba dant formam electioni, quæ facit eam individua. & ibi Add. in litera C. quem sequitur Alciat. in l. 1. §. sed si mihi. n. 13. ff. de verb. oblig. & Garz. de beneficio. part. 2. c. 1. n. 59. & optimè ad rem idem Alciat. loco cit. n. 11. & 12. ubi ex *c. Massana. de elect.* dicit, quod si interveniant in electione Laici, & Clerici, electio est nulla in totum, ea ratione, quia non est servata forma, cum lex de forma introduxerit, ut Laici non interveniant in electionibus, ut tenent *Card. & Imol. in d. c. Massana.**

*Nec suffragatur
contraria
consuetudo.*

VI. Neque prædictis resistit, quod de consuetudine potest introduci, ut aliqui extra Collegium interveniant in electione, *Specul. de elect. §. 1. n. 12. Card. in c. quia propter. q. 12. in princ. Bertach. de Episc. lib. 1. part. 3. q. 5. n. 4.* quem refert, & sequitur *Boer. ad Mandagor. de elect. c. 23. lit. R. vers. adde, quæ tales possunt eligi scrutatores. Card. & specul. ubi supra.* Quia quicquid sit de hac opinione, procedit, quando illi extra Collegium de consuetudine legitime præscripta habent vocem; tunc enim, ut considerat *Cardin. loco prædicto*, hi dicuntur de Collegio eligentium. In proposito autem nullibi probatur, quod tres scrutatores extra de consuetudine debeant interesse electioni, & si probaretur ista consuetudo, non relevaret, quia aperte constat, quod hi ex consuetudine non sunt de Collegio eligentium, cum in electione vocem minimè dederint. Si verò prætendatur, quod de consuetudine possint eligi sex scrutatores, tres de Collegio, & tres extra Collegium; hoc etiam probato, nihil efficeret; quia esset consuetudo contra dispositionem *d. c. quia propter*; quod cum habeat decretum irritans, tollit omnem consuetudinem in contrarium, ut in puncto illius text. dicit *Boer. decis. 1. n. 49. & 50.* & hoc est regulare in omni lege, & canone habente decretum irritans *c. quod super his. 5. in fin. de consanguin. & affinit. c. super eo. 2. in princ. de cognat. Spirit. Covar. par. 4. c. 6. §. 10. num. 35. & seq. Lriedan. de Liber. Christian.*

Christian. lib. 1. c. 16. col. ult. vers. Et hinc jam consideranda. & confirmatur, quia lex irritans facit personam incapacem, quando circa illam versatur, & consuetudo non potest tollere incapacitatem, Dec. in c. novit. de judic. n. 84. Felin. & Aym. quos allegat. Suar. de legibus. lib. 7. c. 19. num. 13. in fin. & quavis ipse n. 14. hanc sententiam non probet, dum tenet, quod lex irritans aliquâ ratione honestâ possit esse abrogabilis per consuetudinem; tamen quicquid sit de hac opinione, quatenus etiam esset vera, in casu isto nihil prodesset, quia ut idem Suarez declarat n. 16. & 17. procederet, si universaliter in toto orbe per consuetudinem contrariam cum requisitis lex esset abrogata, quod in casu isto videtur improbable; secus autem, quando in certo loco servatur contra id, quod in lege habente decretum irritans disponitur; ista enim est præscriptio, quæ introduci non potest, obstante decreto irritanti, quia cum lex generaliter non sit abrogata, remanet in suo robore; neque hîc repetendum est, quod aliàs dicebatur in d. causa Meten. coram me, quod videlicet non agatur de præscribenda lege, sed communi Doctorum sententia, quia imò de præscribenda lege agitur; nam licet aliqui DD. interpretentur substantialia c. quia propter. incipere ibi, qui secretè inquirant. nihilominus communis intellectus illius text. est, quod substantialia incipiant à verbo assumantur, & hoc in aliis juribus declaratur, scilicet in d. c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. de elect. ut supra relatum est: & sic agitur de præscribendo contra jus, non autem contra communem sententiam, quæ communis sententia versatur solùm circa interpretationem illius text. Suarez de legibus. lib. 6. c. 1. n. 5. vers. de hac igitur interpretatione.

VII. Secundò principaliter constat de nullitate electionis, quia dicti tres Scrutatores extra Collegium scrutati sunt votum Fratris Antonii primi Scrutatoris de Collegio, & secundo loco præsentem dicto Antonio, votum Matthie secundi Scrutatoris, ac tertio loco præsentem Antonio & Matthie, votum Valentini tertii Scrutatoris; unde Scrutatio Antonii & Matthie corrui, quia etsi aliqui velint, quod eligatur quartus Scrutator, qui unâ cum Notario scrutetur Scrutatores; rectius tamen & communiter servatur, quod duo ex eis tertium scrutentur; & sic duo ex Scrutatoribus debebant Antonium scrutari, & duo Matthiam, quod minimè servatum fuit, ita Abb. d. c. quia propter. n. 9. vers. quartò quaritur. Innoc. in verb. cunctorum. num. 6. Hostien. num. 43. vers. sed quis inquiret. 10. Andr. n. 18. Butr. n. 26. Compostell. n. 6. Bais. de elect. part. 3. c. 26. n. 8. 10. Fridburg. in sum. de elect. q. 7. col. 2. ante fin. vers. Et puto. Rosell. in sum. verb. electio. 1. col. 5. vers. quot sunt. Rodrig. qq. reg. tom. 2. q. 52. art. 3. vers. in princ. & sic non fuit servata forma c. quia propter. quia modus prædictus scrutandi est secundùm formam d. text. ibi, vota singulorum diligenter exquirant, Hostien. in d. c. quia propter. num. 3.

Duo Scrutatores debent tertium scrutari.

in verb. cunctorum, & sufficit quod forma deficiat in his duobus votis, cum satis esset, quod etiam in uno non fuisset servata, ut electio corrueret, ut fuit opinio Vincentii, quem refert & sequitur Bellam. in d. c. quia propter. §. nisi forte. vers. Tertio quero. Et ratio est, quia in parte relinquitur forma, quæ est indivisibilis Garz. de benef. part. 5. c. 4. n. 148. qui loquitur, quando etiam defectus est in uno voto; & quod magis est, nec ille unus, in quo notatur defectus, potest postea assentire, quia cum electio fuerit nulla, non potest ratificari. Compostell in d. c. quia propter. n. 29. Bellam. loco citato.

*Ismet
autem ex-
quirere vo-
ta eligen-
tium.*

VIII. Tertio principaliter electio fuit nulla, quia ipsi Scrutatores extra Collegium scrutati sunt, solum assidentibus Scrutatoribus de Collegio, ut patet ex instrumento confirmationis transmissio Sanctissimo D. N. in quo sic habetur, Petrus Abbas Epternacen. Suffraganeus Treviren. & Abbas ad S. Matthiam (qui sunt Scrutatores electi extra Collegium) in presentia Notarii inscripti, primo votum Fratris Antonii Scrutatoris, deinde in presentia iam dicti Antonii votum Matthie Scrutatoris, tertio ipso quoque Matthia presente votum Valentini, qui sunt tres Scrutatores electi de Collegio: & postea sublequitur, assidentibus iam dictis Scrutatoribus, Venerabilis Patris Michaelis Prioris, & postea singulorum in ordine sequentium vota prestita, ab utroquoque primitus iuramento consueto prestito, inquisiverunt, audiverunt, & exceperunt, &c. Et sic Scrutatores extra Collegium sunt illi, qui scrutati sunt vota, assidentibus solum Scrutatoribus de Collegio, atque ita contra formam c. quia propter. ubi expresse disponitur, quod tres Scrutatores de Collegio vota omnium diligenter exquirant, quod verbum exquirant importat, ut ex se, & proprio ore exquirant; imò adhibitis quibuidam verbis adhortatoriis, quæ tamen non possunt dici de substantia, prout de substantia est, quod ipsi exquirant, specul. de elect. §. 1. n. 17. quem sequuntur Bertach. de Episc. lib. 2. p. 1. n. 2. Butr. in c. quia propter. n. 25. Abb. n. 5. vers. nota tertio. Hostien. n. 39. Innoc. n. 6. quod non fecerunt Scrutatores de Collegio. Aliud nempe est facere, aliud assidere, l. 1. ff. de offic. Assess. & aliud est facere, aliud est esse presentem actui per alium explicato, Bart. in l. omnium. n. 5. per illum text. & ibi Bald. n. 9. Alex. n. 9. Bart. in l. Modestinus. n. 3. ff. de donat. Bald. in l. illud. sub n. 4. C. de Sac. Eccles.

*Quæ dan-
da sunt
scripto.*

IX. Quarta etiam principalis nullitas ex verbis supra ponderatis resultat, quia ut ex illis patet, vota non fuerunt redacta in scriptis, contra formam text. in d. c. quia propter. ibi, & in scriptis redacta. Abb. ibidem. num. 6. Butr. n. 27. 10. Andr. n. 19. Hostien. n. 31. ubi ait expresse, quod aliter non servatur forma. Innoc. n. 6. Imol. n. 5. in fin. vers. in gloss. redacta. Vbi, quod hoc requiritur, quia melius constat de voto per scripturam, hoc est, ne memoria Scrutatorum pereat. Innoc. ibid. Anchar. ante num. 1. Baif. de elect. part. 3. c. 28. num. 1. & seq. Mirand. in Manual. Pralat. regul. tom. 2. q. 23. art. 16.

X. Quinta

X. Quinta adest nullitas, quia vota in scriptis redacta publicari debent in communi, ut habetur in *d. c. quia propter*, & hoc est etiam substantiale, in præfenti autem fuit publicata solum electio, non autem vota, ut in instrumento, ibi, *inquisitis itaque, collectis, & collatis singulorum votis, Suffragiis & voluntatibus, nos omnes rursus in unum, ac in locum capitularem convocati, atque pro publicatione novi Abbatis & Pastoris instantes, per sapedictum Dominum Presidentem expresse rogati, num factam per nos electionem ratam, firmamq; haberemus, consentientes in Abbatem & Pastorem nostri Monasterii, & Conventus Venerabilem Patrem & c. Pium, & c. publicari & proclamari fecimus, prout idē D. Præsidentem Dominum electum altā & intelligibili voce proclamavit, publicavitq; & c.* Vnde cum fuerit publicata tantum electio, non autem vota, electio fuit nulla, *Hofstien. in d. c. quia propter. n. 44. vers. quintum est. 10. Andr. n. 28. vers. non d. Anchar. & Butr. eod. vers. Baif. d. par. 3. c. 29. in princ. Mirand loco prædicto.* Neque dicatur, quod electio fuit unanimis, & propterea non erat necessaria publicatio votorum, cum non esset facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, *Abb. in d. c. quia propter. n. 10.* quia respondetur, quod ex tenore narratæ electionis constat vota non fuisse publicata, sed solum electionem. Et quamvis in petitione confirmationis dicatur, quod electio fuit unanimis, hæc est simplex enunciativa, & si modò constaret, quod fuisset unanimis, non relevaret, dum non constat fuisse publicatam, cum vota semper publicanda sint; licet enim, ut supra dictum est, quando electio est unanimis, non sit facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, debet tamen fieri collatio numeri, meriti, & zeli, *Abb. in d. c. quia propter. num. 10. vers. si unus.* vel saltem est facienda collatio numeri, aliàs esset in arbitrio scrutatorum pronunciare, quem mallent, & hoc bene requiritur, prout etiam quando quis eligitur à duabus partibus, quo casu, licet non fiat collatio meriti & zeli, *c. si quando. 9. de elect. in 6. Abbas d. num. 10. vers. nam maioritas. Franc. Marc. decis. 924. ante num. 6. lib. 1.* nihilominus fit collatio numeri, licet non ad numerum.

XI. Non obstat, quod Monasterium sit Ordinis S. Benedicti, & in dicta electione dicatur, *& lecto capitulo ex Regula de eligendo Abbate & c.* quod est *cap. 64.* ex quo forsan posset prætendi, quod electio facta, iuxta dictam Regulam sustineatur, quia, ut advertit *Turrecrem. trac. 38.* illud caput habet duas partes principales, in prima agitur de ipsa electione, in secunda de qualitate ipsius electi; & circa primam partem tres ponuntur electionum differentiæ. *Prima est, si tota Congregatio in timore Domini concors fuerit in eligendo. Secunda, si parva pars Congregationis, meliori tamen consilio freta eligeret aliquem. Tertia, si tota Congregatio per-*

Nec his contraria Regula Ordinis obstat.

versâ intentione corrupta aliquem elegerit. Primam & secundam approbat; tertiam verò reprobatur, & hoc est, quod disponitur etiam postea in *d. c. quia propter*. ut supra relat. um est; circa modum autem eligendi, Regula nihil disponit, & si disponderet, non relevaret, quia licet verum sit, quod quando habenti facultatem datur certa forma, illâ non servatâ actus tenet, licet contraveniens possit puniri; secus tamen est, quando illa forma habet decretum irritans, vel perpetuam prohibitionem, prout in casu isto. Nam cum Regula *S. Benedicti* sit anterior, supervenit Constitutio Concilii Generalis, de qua in *d. c. quia propter*. quæ dat formam certam cum decreto irritanti: ergo quod fit in contrarium, est nullum, ut distinguendo dicunt *gloss. in Clement. 1. in verb. inhibentes. de iure patron. ubi Imol. n. 3. & 4. vicelin. n. 13. Anchar. in c. Statutum. § fin. per tot. de rescript. in 6. & in Clement. 1. n. 11. versic. Et hoc enim videtur. de Sequestr. poss. & fruct. Felin. in c. ex parte. limit. 2. de constit. Abb. consil. 91. col. 3. n. 6. vers. ad prædicta induco. lib. 1. & 7. 5. Augerio n. 6. vers. secundo probatur. Apostill. ad Roman. conf. 236. n. 8. in verb. singularis. Suarez de Legibus. lib. 5. c. 31. n. 10. ubi materiam exornat. Io. de Salas de Legibus. q. 96. tract. 1. 4. disput. 16. Sect. 8. n. 33. Sa in summa verb. lex. n. 13. & ista est communis opinio, ut per Brun. de forma. tit. de potestate & effectu formæ. & solemniter in ult. effect. in 6. limit. fol. 57. col. 1. vers. sexto prædicta regula.*

Licet Abbatibus sit regularis.

XII. Neque etiam obstat, si dicatur, quod ubi agitur de electione Abbatibus Regularis, sufficit, quod electio fiat per vota secreta iuxta Concilium Tridentinum, sess. 25. c. 6. de Regulari. Quia fuit responsum, quod aut Concilium loquitur de Abbatibus temporalibus, prout innuunt illa verba, in electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum officialium &c. & super dispositione Concilii non est insistendum: aut loquitur de Abbatibus perpetuis, & eò magis electio est nulla, quia Concilium non derogat dispositioni *d. c. quia propter*. ut per Rodrig. in sum. cap. 1. alias 102. n. 2. & 3. de elect. & fuit dictum coram me in dicta Meten. Monasterii solum addidit, quod nedum vota sint secreta, sed ita & taliter, ut nunquam eligentium nomina publicentur: unde si erat servanda forma *c. quia propter*. dispositio Concilii nedum non obstat, sed operatur, ut eò magis electio sit nulla, cum eligentium nomina nunquam publicari debeant: ex quo fuit, cum fuerint electi tres Scrutatores ex Collegio, & tres extra Collegium, electio non remanserit secreta, quod certè non esset dicendum, si tres tantum de Collegio electi fuissent, Rodrig. loco allegato. num. 3. Et censuit Congregatio Illustriss. interpretum, quam refert Garz. de benef. par. 5. c. 4. n. 189. ubi, quod electio est nulla, si aliquis ex electoribus unam schedulam tantum unico nomine scriptam recipit de manu Scribæ, vel duas recipit, & aliam scindit, quam

declarat

deklarationem refert idem Garz. in d. n. 189. Sic in proposito tres scrutatores extra Collegium sciunt votum eligentis, unde illud possunt revelare, & intrat nullitas electionis per rationem deklarationis præfatæ, cum Concilium habeat decretum irritans verbis claris, quod inficit titulum & possessionem. Et quamvis Navar. conf. 9. de elect. & Rodriq. loco prædicto. n. 4. & qq. regul. tom. 2. q. 52. art. 9. teneat, quod electio sustineatur, quando votum alteri ostenditur sine culpa Capituli, tamen quicquid sit de hoc, in casu isto culpa Capituli votum non est secretum, cum admiserit tres scrutatores extra Collegium; neque etiam sustineri potest electio, ex quo Navar. post Innoc. & alios afferat loco citato, quod si adsit consensus, etiam non servata forma, electio teneat, quia loquitur in foro conscientiæ; nam in foro fori indubitatum est, electionem esse nullam, quia summus Pontifex potest consensum eligentium non solemnitè præstitum invalidate. c. univ. de postul. Prælat. Abb. in c. quod sicut. in fin. de elect.

XIII. Neque facit, quod de prædictis solum constet ex instrumento, in quo Capitulum petit confirmationem, quia cum illud sit manu publicè scriptum, habeatq; sigillum & subscriptionem omnium eligentium, indubitatum est, quod probet, ut in puncto similis instrumenti dicunt Innoc. in c. innotuit. n. 3. de elect. 10. Andr. n. 20. Card. n. 7. vers. sexto quarto. Bellam. n. 20. vers. item dicit. Bursar. consil. 159. n. 15. lib. 2. & videtur facere tex. in c. Ecclesia vestra. il. 2. 57. & ibi. DD. de elect.

Electio
forma col-
ligatur ex
instrum-
to.

XIII. Tandem fuit consideratum, quod in omnem eventum electio non deber confirmari, cum non fuerit petita iuxta terminos c. cupientes. 16. de elect. in 6. & Concordata Germaniæ, & impedimeta quæ possent allegari non probantur; unde merito fuit resolutum in contumaciam alterius partis, non constare de valida electione, quæ debeat confirmari, neque etiam debere confirmari ex negligentia petitionis confirmationis. Et ita conclusum.

Ea etiam
iuxta Con-
cordata
Germaniæ
regula-
ri debet
ex c. cu-
pientes.
de elect.
in 6.

§. 5. Sequitur altera decisio prioris confirmatoria, coram eodem Coccino die 24. Januarii 1625. in qua per plura puncta tangentia canonicas Prælaturarum electiones, subtiliter resolvuntur.

Subiungit
ur altera
decisio Ro-
mæ

Veneris